

I.2

IURAMENTUM FIDELITATIS

1275 marzo 31, Grosseto

Buonaventura giudice, procuratore speciale del comune di Grosseto, in nome e per conto del detto comune presta in forma solenne il giuramento di fedeltà al conte Ildebrandino XII di Sovana-Pitigliano. In Grosseto nel palazzo del detto conte.

Copia semplice fine XIII-inizi XIV secolo, ASS, *Capitoli* 20, c. 1v.
Regesto: ASS, *Ms B* 21, n. 829, c. 236r.

In nomine Domini amen. Anno eiusdem MCCLXXV, indictione tertia, tempore domini Gregorii pape decimi, die ultimo marçii. Dominus Bonaventura iudex de Grosseto syndicus, actor, factor et procurator communis Grosseti, sicut patet in instrumento facto manu Gualterii notarii, nomine et vice dicti communis et pro ipso comuni corporaliter tactis sacrosanctis scripturis iuravit ad computationem domini Niccolai iudicis de Corneto in presentia illustris et magnifici viri domini Ildibrandini olim domini Guillielmi comitis palatini ligium et homagium et veram fidelitatem dicti domini comitis et eius posterum et salvare ipsum dominum comitem in persona et rebus et familiaribus suis; et quod comune Grosseti et homines dicte terre non erunt in consilio, tractatu et ordinamento et opere, quod ipse dominus comes perdat personam vel iniuriam patiatur, nec terram, cassarum, arcem sive civitatem vel aliqua alia bona quod et quam et que nunc habet vel in antea habiturus est, et spetialiter terram Grosseti, custodient, servabunt et manutenebunt ad honorem et servitium et fidelitatem ipsius domini comitis et suorum posterum; et nullo tempore ei vel suis posteris rebellabunt vel rebellionem facient, sed omni tempore ei et suis posteris liber habitus et introitus patebit in civitatem Grosseti. Et si sciverint quod dictus dominus comes vel sui posteri deberent perdere personam, castra, arces vel civitates, quatinus poterunt significabunt ei et suis posteris per ambaxatores vel litteras aut nunctium spetiale; confitendo dictus syndicus nomine dicti communis se dictum iuramentum prestare debere et omnia et singula que in iuramento fidelitatis continentur et contineri debent, iuravit integraliter observare nomine et vice dicti communis Grosseti et pro ipso comuni et hominibus dicte terre cum pactis et conventionibus initis inter ipsos comites Ildibrandescos ex una parte et comune Grosseti et Bilioctum syndicum dicti communis ex altera ut patet in instrumento facto manu Guillielmi notarii in anno domini MCCLXVI, indictione VIII, die VI marçii.